



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. I. Ostenditur perfectam esse in Deo rerum creatarum providentiam,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

## DISPVTATIO VIII.

*De Providentia Dei.**Ad quæstionem 22. prime partis.*

**D**E Providentia divina eleganter & eruditè differunt SS. Patres, Ambrosius, lib. 1. offic. cap. 13. Nisenus lib. 8. phisiol. Nazianzenus duplci carmine de providentia, Chrysostomus homil. 9. ad populum, & in libro de Providentia. Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa cap. 27. usque ad 30. Augustinus 5. de civit. cap. 9. 10. & 11. Theodoretus in sermonibus de providentia, & Salvianus in octo libris quos de ea eleganti stylo conscripsit. De hoc etiam divino attributo agit S. Thomas cum Magistro in 1. diff. 39. Tertio contra gent. cap. 71. & sequentibus. Quæstione 5. de verit. & hic quæst. 22. Nos etiam breviter & succinctè in hac disputatione de illa differimus, & que Sancti illi Patres, eleganti ac fusiori stylo tradunt, ad ordinem & methodum scholasticam reducemos.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An in Deo sit necessariò ponenda Providentia, & ad quæ illa se extendat?*

**C**reva divinam providentiam multipliciter eraverunt antiqui Philosophi. Quidam enim existimantes, omnia à casu & fortuna, vel ex necessitate, aut fecunditate natura provenire, providentiam omnino negarunt. Alij vero illam mirilam & mancam fecerunt, concedentes Deo providentiam de rebus quantum ad eorum species, non autem quantum ad individua, quæ corruptibilia sunt. In quorum persona dicitur Job 22. *Nubes latibulum ejus, & circa cardines cali perambulat; neque nostra considerat.* In hoc errore fuisse Aristotelem, censem aliqui quos refert & sequitur Vazquez hic disp. 64. & 87. Sed oppositum sentit D. Thomas, tum suprà quæst. 14. art. 11. ubi ait Philosophum non negasse Deo scientiam contingentium. Tum etiam 3. contra Gent. cap. 75. ubi postquam varijs rationibus ostendit quid providentia divina sit singularium contingentium, in fine capituli ait: *Per hoc autem excluditur opinio quorundam, qui dixerunt quod divina providentia non se extendit usque ad hac singularia: quam quidem opinionem quidam Aristoteli imponunt, licet ex verbis ejus haberi non possit.*

Tertium errorum refert idem S. Doctor hic art. 2. ex Rabino Moysi, qui negabat Deo providentiam horum inferiorum, solis exceptis hominibus, propter similitudinem divinam quam participant.

Quartus denique error fuit Ciceronis, qui ut refert Augustinus, ubi suprà, negavit Deo providentiam eorum quæ pendent à libero arbitrio, quia putabat eam pugnare cum libertate. Eundem errorum attribuit D. Thomas 3. contra Gent. cap. 89. Origeni, & quibusdam antiquis Philosophis, qui non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare posset, abs-

A que prejudicio libertatis, dixerunt quid providentia non est de his quæ subsunt libero arbitrio, scilicet de electionibus, sed quid illa solùm refertur ad exteriores eventus.

Utergo hie errores efficaciter confutentur, breviter demonstrandum est, Primò in Deo esse providentiam. Secundò illam esse perfectam, & se extendere non solùm ad species rerum, sed etiam ad individua, quamvis corruptibilia; & numerum imperfectorum etiam animalium, ab eterno esse à Deo præordinatum, & prædefinitum. Tertiò non solùm res naturales & necessarias, sed etiam contingentes & liberas, divina subesse providentia; eamque illarum libertatem & contingentiam non destruere, sed assertere.

## §. I.

*Ostenditur perfectam esse in Deo rerum creatarum providentiam.*

**D**Ico primò, stando tam principijs fidei, quād luminis naturalis, negari non posse, esse in Deo providentiam.

Probatur primò conclusio ex varijs Scripturæ testimonij. Dicitur enim Sapientia 7. *Atingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Et cap. 14. *Tua autem Pater providentia gubernat.* Matth. 6. *Respicite volatilia celi, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea;* & *Pater vester cœlestis pascit illa.* In Psalmis etiam sèpe fit mentio providentia & cura quam Deus habet creaturarum corruptibilium: Psal. 103. 106. 134. & alijs. Videatur Augustinus tam loco citato, quād libro 5. de Genesi ad litteram cap. 21.

Probatur secundò conclusio ex ipso nomine Dei, quod ut docet D. Thomas suprà quæst. 13. art. 8. & 1. contra Gent. cap. 46. ab universali rerum omnium providentia fuit impositum; nam ut dicit Damascenus lib. 11. de fide cap. 11. hoc nomen *θεός*, quod secundum Græcos Deum significat, dicitur *ἀρχὴ βίου*, quod significat confidero, seu provideo. Hinc aliqui ex antiquis Deum *τεύχον*, id est providentiam, appellabant, & Dionysius 10. de divin. nomin. ait Deitatem esse quæ omnia videt providentia & bonitatem perfectam.

Tertiò demonstrari potest conclusio omnibus argumentis, quibus in Tractatu de attributis, Dei existentiam ostendimus, ex illis enim etiam concluditur Dei providentia, ut rectè ait Nemesis lib. de facultate animæ cap. 42. Unde meritò Laetantius deridet Epicurum, quod Deum esse dixerit, & tamen providentiam omnem negaverit. *Deira* Quo enim (inquit) quid repugnatius dici possit cap. 8? non video. Etenim si est Deus, utique providens est ut Deus, nec aliter potest. *Divinitas tribui*, nisi & preterita teneat, & praesentia sciat, & futura proficiat. Cum igitur providentiam sufficit, & Deum negavit: cum autem Deum esse professus est, & providentiam simul esse concessit; alterum enim sine altero, nec esse prorsus nec intelligi potest. Quare non desunt alij qui meritò credant, Epicurum verbis tantum & declinanda solùm invidia causâ, Deos admisimus quos prius negaverat: si enim rogaretur unde noverit Deum esse, quid aliud respondere posset, nisi ex ejus effectibus, Deum enim nemo vidit unquam: At ex iisdem effectibus noferat etiam Dei providentiam necesse est: Vel igitur nullus est Deus, vel est alii.

Qq iii

Tom. I.

qua providentia, quæ mundum istum modereretur  
& regat.

5. Quarto potest divina providentia probari ex ordine partium universi, & stabilitate ejusdem ordinis: Quod enim est à casu, est inordinatum, instabile, & inconstans: At mundi partes ordinatissimæ sunt, & hic ordo semper perseverat: Ergo mundus non à casu & fortuito, sed à sapientissimo aliquo gubernatore regitur. *Quonodo* (inquit Damascenus) *adversaries natura, ignis* dico & aqua, aëris & terra, in unius mundi complementum concurrissent adiuvicem, & sine dissolutione perdurarent, nisi quapiam omnipotens virtus, & ea conjunxisset, & semper conservaret indissoluta. Eodem discursu utitur Athanasius libro contra Gentiles, ubi fusè demonstrat, quod non posset ordo universi in tanta partium diversitate, immo pugna continua, permanere, nisi aliqua suprema intelligentia, summo consilio & sapientia, illi perpetuati consuleret. Quod explicat exemplo civitatis, vel exercitus, in quibus non posset diu pax & tranquillitas conservari, nisi esset aliquid Princeps, vel Magistratus, qui omnes in officio contineret, & tali paci & tranquillitati prospiceret. Unde olim Aristoteles, vel quisquis est author libri de mundo, dixit, quærens quid sit Deus, ac definiens, *Hoc in mundo illum esse, quod in navi gubernator, quod in curru auriga, in choro præcentor, dux in urbe, Imperator in exercitu.* Et Boëtius lib. 4. de consolat. sic Deum al. loquitur:

*O qui perpetuā mundum ratione gubernas:  
Terrarum cœlique fator, qui tempus ab avo  
Ire jubes, stabilisque manens, das cuncta  
moveri.*

6. Quinto, si Deus non haberet providentiam rerum, vel hoc esset, quia eas non cognosceret, vel quia eis providere non posset, vel quia nolleret: Primum derogat ejus infinite sapientia, secundum ejus omnipotētia, tertium ejus bonitatis: Ergo est in Deo providentia. Unde Isaïæ 40. *Appendit tribus digitis molera terræ, quod Sancti Patres explicant de tribus illis attributis, potentia scilicet, sapientia, & bonitate, quæ perfectam providentiam perficiunt, & quæ sunt veluti tres digiti manus Dei, quibus omnia ad extra operatur.* Eandem providentiam olim Egypti per sceptrum cuius fastigio fulgentissimus oculus supereminiebat, representarunt: quia omnia quæ Deus infinita sua virtute condidit, fulgentissimo suo sapientiae & providentiae oculo lustrat, futuraque prospicit, praesentia intuetur, & præterita tenet.

7. Sexto funditus evertitur religio, si nulla admittatur in Deo providentia, ut enim ait Laetanius de ira Dei cap. 8. *Si Deus nihil unquam boni tribuit, si coletum obsequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam stultum, quam tempora adificare, sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil assequamur?* Et Cicero i. de natura Deorum: *Si Dij neque posunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, quid ullus Dij immortalibus cultus, honores, preces exhibemus?*

8. Septimo dari providentiam evincit naturalis omnium inclinatio: in repentinis enim perturbationibus (ut recte Nemesius) sine electione & deliberatione, Dei numen invocamus, velut natura nos sine doctrina ad Dei opem perducente. Vel ut egregie Tertullianus: *Animæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis conscripta,*

*De facultate animæ apologetica cap. 44. cap. 17.*

A licet libidinibus ac concupiscentijs evigorata, licet falsis Dijs exanicillata, cum tamē respicis, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valerudine, & sanitatem suam patitur, Deum nominat, & quod Deus dederit, omnium vox est, *Judicem quoque contestatur illum &c.* Ergo ex innato quodam naturæ impetu, Dei providentiam profitemur: *Quidquid autem naturaliter quamcumque reminiscatur (inquit Nemesius) in eo tantavis Loco dicitur ad demonstrandum, ut contra dici nihil possit: ita.* Ergo nec contra Dei providentiam.

Demum suaderi potest conclusio tripli ratio- 9.  
ne D. Thomæ. Prima quam habet hic art. 1. sic Lib. 4. potest proponi. In Deo reperitur ratio ordinis de con-  
B rerum in finem: Ergo & providentia. Patet Con- folat. sequentia ex definitione Boëtij communiter re- proposita inter Theologos, quod scilicet providentia est ratio ordinis rerum in finem, in mente provi-  
foris exitens, vel ut loquitur Boëtius: *Divina ratio in summo omnium Principe constituta, que cuncta disponit.* Antecedens vero probatur. Quidquid perfectionis & bonitatis est in creaturis, est in Deo, & à Deo, tanquam à causa prima: At in creaturis non tantum est perfectio & bonitas substantiae rei, sed etiam ratio ordinis in suis finibus, quæ bonum quoddam est: Ergo etiam hæc est à Deo tanquam à causa ordinante & cau-  
sante.

C Secunda habetur infra quest. 103. art. 1. ubi S. 10. Doctor sic discurret: Convenit summa Dei bonitati quod res productas ad perfectum perducat: ultima autem perfectio uniuscujusque est in consecutione finis: Ergo ad divinam bonitatem pertinet, quod sicut produxit res in esse, ita etiam eas ad finem perducat, quod est eas gubernare.

Tertia quæ sumitur ex libro tertio contra Gen- 11. tiles, cap. 75. sic à D. Thoma proponitur. Om- nes causa seruanda in hoc quod causa existunt, di- vinam similitudinem consequuntur: inventiur autem hoc communiter in causis productentibus ali- quid, quod curam habent eorum quæ producunt; sicut animalia naturaliter nutrunt fetus suos: Deus igitur curam habet eorum quorum causa exis- tit. Eandem rationem eleganter prosequitur Theodoreus ferm. i. de Providentia, his verbis: *Cum omnis in nos rerum bonarum amor ex illius bono amore descendenter, ipse enim est fons & origo cunctorum. Et quia in ipso, ut scriptum est, vi- vimus, movemur & sumus: ab ipso unique effe-* Etum omnem quo pignora amamus, accipimus. Totus autem mundus, & totum humanum genus, pignus est Creatoris sui; & ideo ex hoc quoque af- fectu quo amare nos fecit pignora nostra, intelligere nos voluit, quanum ipse amaret pignora sua. Item Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 13. *Quis*

E operator (inquit) negligat operis sui curam? *Quis* deserat & destitutus quod ipse condendum putavit? si injuria est regere, nonne major injuria est fecisse? Cum aliquid non fecisse, nulla in- justitia sit, non curare quod feceris, summa in- clementia.

## §. II.

Demonstratur providentiam Dei esse perfectissi- man, illamque ad singularia, etiam corruptibili- tia, se extendere, & vilium etiam animalium numerum preordinaire ac prædefinire.

Dico secundò: divina providentia non so- 12. llem se extendit ad species rerum crea-